

(2) *Commoda concordia fraterna sunt planè A evidentia, ad augendam rem familiarem, confundendos demones, exbilarandos bonos, &c: conf. Hof. XIV, 6.*

[3] *Dei præcepto vel promissioni serienec Satan neq; mundus potest obsistere.*

(4) *Benedictio ac Vita pellit adversa omnia, invaletudinem, animi mæores, &c.*

## PSALMI CXXXIV. DISPOSITIO.

*Omnes canite servi Domino.*

*Officium ministrorum.*

**E**st hîc I. sancta ad vigilantiam exhortatio: (1) *vigiles: omnes servi Domini, stantes noctu in domo Domini.* (2) *actus: (a) benedicite Domino: vers. 1. (b) manus vestras attollite ad san-*

*ctuarium: (c) benedicite, inquam, Domino: vers. 2.*

II. *Promissio seu votum: (1) Dominus creator cæli & terræ (2) benedicet, (3) tibi, talia dextrè observanti, (4) ex Zion: v. 3.*

## PSALMUS CXXXIV.

### EXPLICATIO VERSUS I.

**הנה** *Eccè:*) excitatoriâ hac vocolâ iterum & hic inchoatur psalmus, æquè ut antecedens; illic attentio mentis, hîc insuper oris quoque industria exigitur. Ultimus autem est hicce inter *Psalmos graduum*, quem *Genebrardus* breve vocat sacerdotum speculum, benedictionis plenum. *Muis* opinatur, moris fuisse Levitis, ut in adeundis templi excubiis hunc Psalmum canerent, & forsân quidem in unô graduum.

**ברוך** *benedicite Domino:*) insignia scilicet Dei opera, tam creationis atque conservationis, quàm redemptionis atque gubernationis ecclesiæ, honorificè commemorandô, veritatem, justitiam, misericordiam, majestatemque ejus extollendo &c: vide *Psalm. LXVI, 8. benedicite populi Deo nostro: Psal. LXVIII, 27. benedicite Deo in conventibus: Psalm. XCVI, 2. cantate Domino, benedicite nomini ejus: &c.* Imperativus autem hic humanæ opponitur socordix, somnolentiæ, inconstantix, aliis terrestribus magis intentæ, &c. Imò idem hic imperativus dirigitur etiam ad angelos Domini, tanquam socios nobis constituendos, *Psal. CIII, 20, 21. ut & ad universas Dei creaturas, vers. 22. Kimchi* connectit hæc cum *Psalm. CXXXIII, 3. sicut Dominus promisit הברכה* ita & uniuscujusque vestrum erit, ipsi *benedicere* ex omnibus viribus.

**עבדי** *servi Domini:*) h. e. Levitæ ac sacerdotalis generis viri, vel quotquot ecclesiasticis fungimini officiis. Quamquam enim communior sit aliàs hicce titulus, competens angelis, regibus, prophetis, imò Mesxiæ ipsi; hic tamen peculiariter restringitur ad ministrantes in templô, sicut etiam mox *Psal. CXXXV, 1, 2. Quotquot estis cultores istius. ita Campensis.*

**העמרים** *qui stantes (estis):*] i. e. qui ministratis instar satellitum aut apparitorum regionum, coram rege suo ad excipienda jussa promptè adstantium. Ita namque de Bathsebâ scribitur *1. Reg. I, 28. quod ingressa in conspectum regis steterit coram rege, de Davide, qui cum ad Saulem venisset, stetit coram rege, 1. Sam. XVI, 21, 22. confer 1. Reg. I, 2. 4. 15. X, 8. 2. Reg. VI, 32. item Prop. XXII, 29: vidisti virum velocem in opere suo? coram regibus יהיצב &c.* Ita igitur de officiis etiam sacris *Dent. X, 8: separavit Dominus tribum Levi, ut portaret arcam fœderis, & ut staret coram Domino, ad ministrandum ei, & ad ei benedicendum. &c. item c. XVIII, 7. Jud. XX, 28. 2. Reg. V, 16. 1. Par. XXIII, 30. (ut starent singulis matutinis ad celebrandum & laudandum Dominum, & sic ve-*

*speri:)* *2. Par. XXIX, 11. (vos elegit Dominus, ut stetit coram eò, ad ministrandum ei &c.) vide ibidem vers. 26. xxx, 16. xxxv, 10. Neb. VII, 65. Sic apud Latinos Stare ad pedes alicujus dicuntur, qui alicui ministrant: & apud Svetonium, stetit ad cyathum & vinum Nicomedi, (i. e. pocula ei ministrasse) Cæsar dicitur. Pertinet huc, quòd aliàs nemini in atriô magnô sedere licitum, præterquam*

**B** *regibus è stemmate Davidis oriundis, uti notat L'Empereur middoth. p. 4. Idem reperies in Maimon. t. 3. H. heb habbechirac. 7. §. 6. LXX. & Vulgatus: qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. quæ in fontibus sanè haut extant. Genebrardus excusat, hac ratione etiam laicos includi. verum num hæc scripserat Psaltes? num laici etiam noctu in templô ministrabant?*

**בלילות** *in noctibus:*) h. e. qui agitis in loco sacro excubias; id quod tribus in locis factum fuisse, annotatur in *Middoth. c. 1. §. 1. nempe in domo sanctuarii, in Affines & Nizoz. vide L'Emper. ad locum eundem. De montis templi præfectô singulas custodias perlustrante, cui prælucebant facces, qui quemvis custodem, pedibus non insistentem, sed dormientem, percutiebat baculô, poteratque vestimenta illius comburere; ubi tamen non quòvis tempore tenebantur vigilare singuli, verum ii tantum, qui vices suas vigilandi, (in vigiliis siquidem distributa nox erat,) non observassent, &c. *ibidem p. 6. seqq. Eadem reperies etiam in Maimon. H. heb habb. c. 8. §. 10. [t. 3. f. 176.] ubi simul §. 2. affert, שמירה* custodiam fuisse præceptam totâ nocte, custodes fuisse Sacerdotes ac Levitas, quorum illi (§. 4.) intrinsecus, hî extrinsecus excubabant, ita ut 24. cætûs in distinctis 42. locis custodirent; sacerdotes in tribus, Levitæ in XXI, &c. Confer *Psalm. XCII, 3: bonum est annunciare mane gratiam tuam, & veritatem tuam בלילות. item Job. XXXV, 10. Psalm. I, 2. VI, 7. XVI, 7. XVII, 3. XLII, 9. LXIII, 7. LXXVII, 7. XCII, 3. CXIX, 55. 62. Jes. XXVI, 9. XXIX, 30. Sic de Levitis 1. Par. IX, 33. cantores principes patrum Levitarum in cubiculis immunes, quia die & nocte super eos erat כפלאכה in opere esse, (vel occupari.) vide etiam *Exod. XXVII, 21. Lev. VIII, 35. 1. Sam. III, 3. R. Obadia* refert ad eos, qui ob studium legis, in cubiculis templi, nocte permanserunt. Añqui ex Targum ad *Gen. XLIX, 27. referunt ad sacerdotes, quos Targum illic in Benjamin (ob sanctuarium in tribu istâ ex parte extructum) intelligit, quippe qui manè ac vesperi offerunt sacrificia, noctu autem dividunt residuum portionis suæ, illudque absument.***

EXPLI-